ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

CONR. HENRICUS FUCHS D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

JO. CAR. LUD. GIESELER D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Inest

C. FR. HERMANNI ELOQ. P. O.

disputatio de philosophorum Ionicorum aetatibus.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

MDCCCXLIX.

1849

Novum Prorectorem, eundem tamen in eisdem negotiis dudum spectatum et probatum renuncio virum summe reverendum, clarissimum, gravissimum

JOH. CAR. LUD. GIESELER D.

qui ab Augustissimo Rege clementer confirmatus Kalendis Septembribus fasces academicos denuo suscipiet. Qui etsi biennio tantum interjecto ad idem munus redit, eo ipso tamen biennio tanta rerum nostrarum mutatio facta est, ut vel exercitatissimo multa nova et insolita accidere possint; omnes igitur quorum interest hortor atque moneo, ut honestate et obsequio labores illius minuant ipsamque recentem libertatem nulla re magis quam prudenti et sobrio usu commendari et firmari recogitent.

Nobis autem, ut omnino libentissime ex horum temporum perturbatione et discordia ad sancta antiquitatis spatia confugimus, ita nunc quoque ab hujusce diei fortuna ad antiquissimam philosophorum Graecorum memoriam redire liceat, quorum non placita tantum verum etiam ipsae aetates vitarumque commercia et necessitudines etiam nunc dignae sunt, quae eruditi hominis curam exerceant. Tenebris quidem largaque ambigendi disceptandique materia ne illa quidem tempora carent, nec leves virorum doctorum de hoc ipso argumento controversiae exstant; has tamen vel nostra qualicunque opera aliquatenus expediri et illustrari posse speramus, tantumque abest ut sententiarum illa varietate ab instituto deterreamur, ut propter hanc ipsam causam instauranda hac quaestione non paucis gratificaturi esse nobis videamur. Illud modo cavebimus ne singulorum

sententiis refutandis vel nominatim quenquam laedamus vel ipsam disputationem ultra modum extendamus; cujus quum haec summa esse debeat, ut veterum testimonia, quorum alii aliud amplexi sunt, inter se comparemus suumque cuique pretium incorrupto judicio statuamus, huic soli negotio quantum hoc opellae est sedulo impendemus, recentiorum autem auctorum nomina, ut in ipso libello sileri possint, hic in unum conjuncta subjecimus. Si quis igitur horum quoque vel placita vel commenta cognoscere cupiat, post Scaligerum (ad Eusebium) aliosque qui obiter tantum has difficultates tetigerunt, primum sciat data opera in eas inquisivisse Corsinium in Fastis Atticis T. III, p. 111 sqq. 139 sqq., eundem tamen acriter increpatum esse a Wyttenbachio Bibl. crit. Amstel. T. XII, p. 63—65; mox de Empedoclis, Anaxagorae, Democriti, Zenonis aetatibus Meinersius disseruit in Excursu libri qui inscribitur: Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften in Griechenland und Rom (Lemgoviae 1781. 8) T. I, p. 721—727, omnium autem tempora, ut ab antiquis tradita sunt, suis locis annotavit Clintonus in Fastorum Hellenicorum T. II, cujus interpretationi Latinae a Krügero curatae quum Henricus Ritterus, diligentissimus philosophiae Graecae enarrator, succinctam harum quaestionum epicrisin addidisset, Clintonus diversam sententiam professus est in singulari disputatione on the early Ionic philosophers inserta Museo philologico Cantabrigiensi a. 1831, T. I, p. 86—95; nec multo post ejusdem Clintoni aemulus Joannes Matthias Schultzius in Apparatus ad annales criticos rerum Graecarum collecti specimine secundo Kiliae a. 1836 edito p. 24 sqq. hujus quoque argumenti partem suo modo tractavit: denique Augustus Bernardus Krische, quem nuper demum iniqua fata Academiae nostrae eripuerunt, in libro bonae frugis plenissimo: Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie p. 62 de eodem sententiam suam dixit; nobis quid post hos omnes ad ipsam fidem antiquam proxime accedere videatur, paucis de universo causae statu praemissis quam strictissime poterit jamjam enarrabitur.

I.

In definiendis philosophorum antiquorum aetatibus et veteres et recentiores auctores haud raro diversissimas rationes secuti sunt. Alii enim id maxime spectarunt, ut priscam sapientiam per successionem aliquam doctorum continuarent quantumque ejus fieri posset singulos sapientes simili disciplinae vinculo inter se conjungerent, quo Macedonica aetas principum philosophorum placita intra certarum scholarum fines per professorum vices tradi norat [1]); id ipsum tamen studium quum a prisci illius temporis simplicitate prorsus alienum esset, alii in contrariam partem delapsi, quicquid in illa chronologia ad magistri et discipuli aequalitatem pertinere videretur, suspicioso fastidio spreverunt interque varias veterum notationes eam semper libentissime amplexi sunt, quae disjungendis philosophis inserviret. Nec profecto immerita haec suspicio habenda est, si quidem certis exemplis constat veteres has successionum series tanta cum caecitate persecutos esse, ut non modo eos discipulos magistris adderent, quorum placita ne minimam quidem cum his similitudinem gererent, sed ipsa tempora interdum miserum in modum confunderent et perturbarent [2]); quod si probabile sit philosophi alicujus aetatem hoc maxime argumento notatam esse, ut is alterius magister vel discipulus haberi posset, talem notationem non sine summa cautione in usus nostros converti posse facile concedimus. Nam quod posteriore aetate, quum omnem fere philosophum certae sectae addictum esse oportebat, vix fieri poterat, ut aliquis sine magistro ad sapientiae professionem perveniret, primordiis philosophiae utique convenit, quorum ea in hoc genere ruditas erat, ut vel philosophi

---

1) Initium hujus studii fecisse videtur Sotion ἐν διαδοχαῖς, cf. Jahn. Archiv f. Philol. T. V, p. 217 sqq. et Roeperus in Schneidewini Philologo T. III, p. 22—25; secuti sunt Sosicrates et Antisthenes Rhodii, Alexander Polyhistor, Heraclides Lembus, Nicias Nicaeensis, alii, de quibus universe Jonsius Scriptt. hist. philos. Francof. ad M. 1659. 4 et Brandis Gesch. d. griech.-röm. Philos. T. I, p. 31 sqq.

2) Insignissimum hujus generis exemplum Aristoteles, diligens temporum observator, ipse notavit Politic. II. 9. 5: ἀλλὰ ταῦτα μὲν λέγουσιν ἀσκεπτότερον τῶν χρόνων λέγοντες.

nomen, hoc est amatoris sapientiae, a Pythagora demum inventum esse ferretur [3]), is autem, qui primus se *σοφιστὴν* id est sapientiae cultorem professus esset, audacissimum facinus commisisse crederetur [4]); neque in summo fervore, quo homines ingeniosi rerum causas perscrutabantur, ea semper placitorum continuitas exstat, ut magistri auctoritatem etiam apud discipulum valentem agnoscamus; postremo si qui maxime alienae sapientiae partem suae acceptam referebant, ex libris scriptis haurire potuerant, quibus solis antiquissimo tempore peculiare philosophiae studium prodi solebat, ut ne eos quidem, quorum aliqua doctrinae necessitudo appareret, coram inter consuesse aequalesque vixisse necessarium esset. At enim, opinor, etiam quae necessaria non sunt, possunt tamen fieri, nec si quis altero magistro non eguit ad sapientiam suam consequendam, etiam consuetudine et congressu ejus excludendus est; immo eodem jure, quo eos, qui aequales non fuerunt, vel contra veteres auctores inter se consuesse negamus, eis, quorum hi tempora exaequant, etiam congrediendi et inter se communicandi facultatem concedere debemus; nec si maxime fieri poterat, ut perverso illo successionum conciliandarum studio temporum ordines turbarentur, sola haec corrumpendae chronologiae causa erat; sed in tanta harum rerum ambiguitate et discrepantia, quanta vel nunc et in vitis hominum circumscribendis et in finitimorum populorum regnis definiendis et in ipsa epocha Trojana, unde pleraeque Graecorum computationes chronologicae pendent, stabilienda apud veteres scriptores apparet, non minor in disjungendis quam in comparandis philosophorum aetatibus erroris via patebat; quae quum ita sint, ne successionum quidem fraude cavenda omnem errorem vitari claret. Pendet autem tota haec quaestio quum ab universa scriptorum auctoritate, tum ab eo nexu, quo res ab his traditae cum aliis rebus junguntur, quarum aliunde tempora constant; postremo si aetatem aliquam ratiocinando potius quam antiqua fide a scriptore inventam esse credibile est, nostrum erit, ut ejus ratiocinationis causas examinemus eoque facto rem ad nostrum ipsorum judicium revocemus; hoc igitur modo nunc quoque Ionicos philosophos, quorum maxime ambigua et controversa tempora habentur, ita tractabimus, ut

---

3) Diog. L. Prooem. §. 12; cf. Davis. ad Cic. Tuscul. V. 3.

4) Plat. Protag. p. 349 A: *καὶ οὕτω πεπίστευκας σαυτῷ, ὥςτε καὶ ἄλλων ταύτην τὴν τέχνην ἀποκρυπτομένων σύ γ' ἀναφανδὸν σεαυτὸν ὑποκηρυξάμενος εἰς πάντας τοὺς Ἕλληνας σοφιστὴν ἐπονομάσας σεαυτὸν ἀπέφηνας παιδεύσεως καὶ ἀρετῆς διδάσκαλον, πρῶτος τούτου μισθὸν ἀξιώσας ἄρνυσθαι*: cf. Meno p. 91 E et Themist. Orat. XIII, p. 198: *ὅσοι γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς ἀνεκήρυττον ἑαυτοὺς ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ τῇ σοφίᾳ.*

missa ab initio omni successionum ratione id solum persequamur, quod ex antiquis testimoniis historica fide aut probabilitate erui possit. Quippe tum demum ad eam quoque quaestionem reditus patebit, ecquos philosophos per temporum rationes vel coram inter se committere vel disciplinae vinculo jungere liceat; ab initio vero aut per se quemque spectabimus aut ita tantum cum altero comparabimus, si mutua eorum necessitudo extra omnem dubitationem posita et a successionis quaestione prorsus aliena et separata esse videatur.

II.

Sed ut ordine procedamus, primum ipsa veterum testimonia cum auctoritatibus suis juxta se ponamus, quo et totius quaestionis difficultas et singularum aetatis notationum varietas quanta sit luculenter appareat. Thaletem igitur, unde ipsam Ionum philosophiam principium habuisse omnes consentiunt, alius septuaginta octo, alius nonaginta [5]), alius centum annos [6]) vixisse tradit; Olympiadum tamen termini, quibus vita ejus circumscribitur, nonaginta duos vel tres suadent, si quidem natus traditur anno Ol. XXXV primo [7]) vel Damasia Athenis archonte, qui certe secundo ejusdem Olympiadis anno ascribitur [8]), mortuus autem Ol. LVIII [9]), nec profecto minor ejus aetas haberi poterit, quem et solis defectum praedixisse constat, qui certissimis rationibus anno Ol. XLII tertio ponitur [10]),

---

5) Diog. L. I. 38: *ἐτελεύτησε δ' ἐτῶν ἑβδομήκοντα ὀκτὼ ἢ ὡς Σωσικράτης φησὶν ἐνενήκοντα.*

6) Lucian. Macrob. c. 18: *Σόλων δὲ καὶ Θαλῆς καὶ Πίττακος, οἵ τινες τῶν κληθέντων ἑπτὰ σοφῶν ἐγένοντο, ἑκατὸν ἕκαστος ἔζησεν ἔτη*: cf. Syncell. p. 402 Dind.: *ὃς λέγεται ζῆσαι ὑπὲρ τὰ ἑκατὸν ἔτη.*

7) Diog. L. I. 37: *φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς τριακοστῆς πέμπτης ὀλυμπιάδος.* Olympiadem solam ponunt Suidas et Cyrillus adv. Julianum p. 12 C.

8) Diog. L. I. 22: *καὶ πρῶτος σοφὸς ὠνομάσθη ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν καὶ οἱ ἑπτὰ σοφοὶ ἐκλήθησαν*: annum autem hujus archontis clare notat Dionys. Hal. Arch. III. 36: *ἐνιαυτῷ δευτέρῳ τῆς τριακοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Σφαῖρος ὁ Λακεδαιμόνιος, καθ' ὃν χρόνον Ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν εἶχε Δαμασίας*: unde Diogenem quoque natalem Thaletis annum designare patet.

9) Sic praeter Diogenem etiam Eusebius in Chronicis et Cyrillus; strictius Tatianus orat. ad Graecos c. 64 eum circa quinquagesimam Olympiadem vixisse ait.

10) Cf. Francis Baily in Philosophical Transactions a. 1811 P. I, p. 220—241 et Oltmanns in Abhh. d. Berliner Akad. a. 1812, p. 75—87, quibus unanimo consensu astipulantur Schultzius Appar. Annal. spec. I, p. 20, Voemelius de aetate Solonis et Croesi, Francof. ad M. 1832. 4, p. 6; St. Martin in Mém. de l'Acad. d. Inscr. a. 1836, T. XII, P. 2, p. 10, Hupfeldius Exercc. Herodott. spec. II, Rintel. 1843. 4, p. 42 sqq. Veteres auctores, qui ad Ol. XLVIII descendunt (cf. locos collectos a Fischero Zeittafeln d. griech. Gesch. p. 107 et Seyffartho in Klotzii Archiv f. Philologie T. XIV, p. 599), hic quoque diversa

et Croesum in Haly trajiciendo adjuvisse [11]), quod ante Ol. LV fieri vix potuit [12]). Immo fuerunt qui hanc ipsam expeditionem ad Ol. LVIII vel LIX detruderent [13]), eademque Sosicratis sententia fuisse videtur, qui Periandri mortem posuit Ol. XLVIII anno quarto simulque quadragesimo ante Croesi exitum [14]), ut mireris eundem Thaletem nonagenarium obiisse dicere, qui secundum hanc rationem vel nonagesimum quartum annum attigit; sed etiam si cum aliis Lydorum casum ad Olymp. LV rejeceris, octogenarium certe jam tum Thaletem habebis, ut mittam eum etiam posterius vitam per aliquot annos trahere potuisse. Expeditior res est de Anaximandro, cujus aetatem etsi alii aliis argumentis definiunt, nihil tamen in his continetur, quod ab altero valde discrepet, si quidem Origenes eum Ol. XLII anno tertio natum esse [15]), Eusebius autem Ol. LI anno quarto, hoc est aetatis trigesimo septimo floruisse tradit, Apollodorus denique Ol. LVIII. 2 annum sexagesimum quartum egisse narrat [16]), eidemque anno Plinius illud ejus inventum tribuit, quo primus obliquitatem signiferi intellexisse eoque facto rerum fontes aperuisse credebatur [17]); quae quum ita inter se conveniant, Eudociae levitatem, quae sexagenarium obiisse scripsit [18]), facile ignorabimus, neque in Polycratis tyranni aetate haerebimus, quem etsi fuit qui nisi in duos homines cognomines distractum Anaximandri flori aequari posse negaret [19]), alii tamen

---

epochae Trojanae computatio in fraudem induxisse videtur, quo mox etiam gravissimas harum vitarum discrepantias revocabimus; nam si traditum erat, ut apud Solinum Polyhist. XV. 16 legimus, solis illam defectionem anno post Trojam sexcentesimo quarto accidisse, is qui cum Apollodoro Trojanam epocham CDVII annis ante primam Olympiadem ponebat, ad Ol. XLIX deferebatur, quum primus illius intervalli auctor fortasse cum Chronico Pario Trojam CDXXXII annis ante primam Olympiadem captam statuisset.

11) Herod. I. 75.

12) Cf. Voemel. l. c. p. 23 sqq., St. Martiu l. c. p. 21 sqq., Wiedemann. in Mus. d. Rhein. Westph. Schulmänner-Vereins T. IV, p. 16.

13) Solin. Polyh. I. 112; cf. Clinton. Fast. Hell. T. II, p. 6 et 297 et Boeckh. C. Inscr. T. II, p. 337.

14) Diog. L. I. 95 ex Menagii interpunctione: *Σωσικράτης δέ φησι πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι αὐτὸν ἔτεσι τεσσαράκοντα, καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος*: cf. Solin. VII. 14 et Wagner. de Periandro Corinth. tyranno, Darmst. 1828. 4, p. 24 sq.

15) Philosophum. c. 6.

16) Diog. L. II. 2: *ὅς καί φησιν αὐτὸν ἐν τοῖς χρονικοῖς τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς πεντηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος ἐτῶν εἶναι ἑξήκοντα τεσσάρων καὶ μετ' ὀλίγον τελευτῆσαι, ἀκμάσαντά πῃ μάλιστα κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμου τύραννον.*

17) Hist. N. II. 8.

18) Violet. p. 55: *Ἀναξίμανδρος ἐτελεύτησεν ἑξηκοντούτης, ἀκμάσας μάλιστα κατὰ Πολυκράτην Σάμου τύραννον.*

19) Clinton. Fast. Hell. T. II, p. 7 et in Philol. Mus. Cantabr. T. I, p. 89, scilicet propter Suidae

hunc tam mature ad regnum pervenisse effecerunt [20]), ut ejus quoque primordia commode philosophi aetas attingeret. In Anaximenis vero temporibus et eae difficultates, quas jam in Thaletis aetate offendimus, et multae aliae majorem in modum redeunt; quem quum plurimi cum Sardium expugnatione conjungant, non illud tantum vehementer ambigi vidimus, quo maxime anno Sardes a Cyro expugnatae sint, sed ne id quidem certum est, utrum hanc priorem Sardium expugnationem an cum aliis posteriorem illam intelligere debeamus, qua idem oppidum circa Ol. LXX ab Atheniensibus captum et deletum est [21]); immo alii natum [22]), alii mortuum circa hanc expugnationem dicunt, quam apud Apollodorum certe posteriorem fuisse inde apparet, quod hic Anaximenem circa Ol. LXIII demum natum statuit [23]); quanquam hac ipsa re insigniter cum aliis discrepat, qui florem hominis jam Ol. LVIII ponunt [24]). Quod autem fuerunt, qui hanc difficultatem ita tollere conarentur, ut inverso ordine philosophum circa Sardium expugnationem natum, Ol. LXIII mortuum esse statuerent [25]), vereor ne id ipsum, quod maxime offendit apud Apollodorum, non sustulerint, brevitatem inquam vitae, quam ex hac quoque computatione vix ultra trigesimum annum extendere licebit; utque omittam non hunc solum auctorem mortem Anaximenis cum Sardium expugnatione jungere [26]), cum Suida enm ne sic quidem conciliabimus, qui

---

verba de Ibyco: *ἐνθένδε εἰς Σάμον ἦλθεν ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης ὁ τοῦ τυράννου πατήρ· χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, ὀλυμπιὰς νδ'*: at Polycratem tyrannum Aeacis potius filium fuisse constat ex Herodoto III. 39, nec Schultzius spec. I, p. 31, quamvis et ipse Polycratis aetatem deprimat, Suidae verba corrupta aut ab ipso compilatore prave scripta appellare dubitat.

20) Cf. Bentleji Opusc. p. 185 eumque sequentes Panofkam de rebus Samiorum p. 30 et Schneidewinum ad Ibyci reliquias p. 17.

21) Herod. V. 100. Chronologia et ipsa ambigua est, si quidem Larcherus et Reizius a. 503, Clintonus a. 499, Schultzius a. 502 a. Chr. n. hoc incendium ponunt; cf. Fast. Hell. T. II, p. 243 sqq. et Kieler philol. Studien p. 178; nos tamen cum Petero in Zeitschr. f. Alterth. 1843, p. 763 Clintonianam rationem praeferimus.

22) Suidas: *γέγονεν ἐν τῇ νε' ὀλυμπιάδι ἐν τῇ Σάρδεων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν.*

23) Diog. L. II. 3: *καὶ γεγένηται μὲν, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος, τῇ ἑξηκοστῇ τρίτῃ ὀλυμπιάδι, ἐτελεύτησε δὲ περὶ τὴν Σάρδεων ἅλωσιν.*

24) Origen. Philosoph. c. 7: *ἤκμασε περὶ ἔτος πρῶτον τῆς νη' ὀλυμπιάδος.*

25) Cf. Corsin. Fast. Att. T. III, p. 112 et Heynius ad Fragm. Apollod. p. 1091. Wyttenbachii rationi, qui (Bibl. crit. T. XII, p. 65) Ol. LIII natum a duodevigesimo aetatis anno ad vigesimum secundum Anaximandrum audivisse, ipsum autem Ol. LXXII ab Anaxagora auditum esse suspicatur, neutra Sardium expugnatio convenit.

26) Eudocia quoque p. 55: *τὸν βίον*, inquit, *κατέστρεψε περὶ τὴν Σάρδεων ἅλωσιν.*

Ol. LV natum narrat, quo tempore clades illa omnino poni vix potest; hunc ipsum autem ne corrigamus [27]), quum aliis causis, quas sequens disputatio aperiet, tum Origenis testimonio prohibemur, qui eodem tempore, quo correctores illi natum volunt, jam florentem describit [28]); sive hic ipse sedecim vel viginti annorum flos praecocior videatur, quo longius nativitatem ejus rejecerimus, eo minus eandem cum Sardium expugnatione exaequare poterimus. De Heraclito, cujus florem alii [29]) Ol. LXIX, Eusebius circa LXXX ponit, hoc tantum Aristotele teste constat, sexagenarium mortuum esse [30]), nisi forte ex popularis illius Hermodori aetate aliquid colligere licet, qui quum vivo etiam tum Heraclito ab Ephesiis civitate ejectus esset [31]), mox exul Romae decemviris in legibus duodecim tabularum scribendis utilem operam praestitit [32]); impeditior tamen est Anaxagoras, in cujus aetate definienda ipse Diogenes Laërtius ita sibi contradicit, ut quem Apollodoro auctore Ol. LXX natum Xerxis tempore vigesimum annum egisse septuagenariumque mortuum esse refert, ejusdem mortem in Ol. LXXVIII ponat [33]); sive is calami error est, Eusebius quoque non ut plerique computant Ol. LXXXVIII sed LXXIX anno tertio Anaxagoram obiisse tradit; summa denique confusio est in eis, quae ex Demetrii Phalerei ore narrantur [34]), Anaxagoram viginti annos natum docere Athenis coepisse Callia archonte, cui etiam si Calliadem Ol. LXXV. 1 archontem substituerimus [35]), tamen et tenera hominis

---

27) Ut Clintonus fecit *νέ* in *νή* mutando, astipulantibus Voemelio l. c. p. 26 et Mülleris ad Histor. Gr. Fragm. T. I, p. 446.

28) Cf. not. 24; an ipsum *γέγονε* ad vitae tempus universum referamus, ut idem fere sit quod *ἤκμασε*? At alibi quoque Suidas hac voce nativitatem significat, ut de Thalete: *γεγονὼς πρὸ Κροίσου ἐπὶ τῆς λέ ὀλυμπιάδος*, et de Democrito: *γεγονὼς ὅτε καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος, κατὰ τὴν οζ́ ὀλυμπιάδα.*

29) Diog. L. IX. 1 et Suidas, quos plerique hodie sequuntur; cf. Clinton. T. II, p. 21 et 47, Brandis T. I, p. 150 etc.

30) Diog. L. VIII. 52; IX. 3.

31) Strabo XIV, p. 642.

32) Plin. Hist. N. XXXIV. 11; Pomponius in l. 2. §. 4 Dig. de origine juris; cf. Klotz Handb. d. latein. Liter. Gesch. T. I, p. 330 sqq.

33) Diog. L. II. 7: *λέγεται δὲ κατὰ τὴν Ξέρξου διάβασιν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, βεβιωκέναι δὲ ἑβδομήκοντα δύο· φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ ὀλυμπιάδι, τεθνηκέναι δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀγδόης.*

34) Ibidem §. 8: *ἤρξατο δὲ φιλοσοφεῖν Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου, ἐτῶν εἴκοσιν ὤν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ· ἔνθα καί φασιν αὐτὸν ἐτῶν διατρίψαι τριάκοντα.*

35) Calliam enim archontem Athenis ante Ol. LXXXI. 1 non novimus, cf. Corsini Fast. T. III, p. 202;

aetas tempusque pacatis studiis iniquissimum offendit, et illud turbat, quod idem addit triginta annos Athenis moratum esse, quo facto vix intelligeremus, quomodo septuaginta duos annos implere potuisset, quem omnia suadent exiguo tempore postquam Athenis pulsus est Lampsaci supremum diem obiisse, non viginti amplius annis ibidem exulem degisse [36]). Omnium denique summa ambiguitas in Democriti aetate definienda cernitur [37]), qui etsi ipse tradidit se *μικρὸν διάκοσμον* triginta et septingentis annis post Trojae excidium scripsisse, tamen nec quo ipse tum aetatis anno fuerit, nec quot annis ante primam Olympiadem Trojanam epocham posuerit, scriptum reliquit [38]); neque illud magnopere nos juvat, quod se in eodem libro quadraginta annis Anaxagora juniorem esse dixerat, unde licet Apollodorus, quem Anaxagorae nativitatem ad Ol. LXX retulisse vidimus, facili negotio Ol. LXXX eruerit, tamen neque ipsius Anaxagorae aetatem extra dubitationem positam deprehendimus et in Democriti vita terminanda tot aliorum sententias discrepantes offendimus, ut vel propter hanc causam etiam de Anaxagora cautius statuere cogamur. Et Thrasyllus quidem, qui librorum Democriteorum corpori a se collecto vitam philosophi praemisit, Ol. LXXVII anno tertio natum fecit, ut Socratis aetati suppar fuerit [39]), Aristoteles vero etiam hoc prio-

---

pro Colliada autem eundem alibi quoque librarii substituerunt, ut in Euripidis vita p. 133 West. et Hieronymi Comm. in Daniel. c. 11.

36) Suidas: *ἔφυγε δ' ἐξ Ἀθηνῶν Περικλέους αὐτῷ συνειπόντος καὶ ἐλθὼν ἐν Λαμψάκῳ ἐκεῖσε καταστρέφει τὸν βίον ἀποκαρτερήσας· ἐξήγαγε δὲ τοῦ ζῆν ἑαυτὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα, διότι ὑπ' Ἀθηναίων ἐνεβλήθη ἐν δεσμωτηρίῳ οἷά τινα καινὴν δόξαν τοῦ θεοῦ παρεισφέρων*: cf. Diog. L. II. 14 pluraque apud Schaubach. ad Anaxag. fragm. p. 53, imprimis *γηραιοῦ* epitheton, quo jam Athenis morantem insignit Plut. V. Pericl. c. 16.

37) Cf. locum primarium Diogenis IX. 41: *γέγονε δὲ τοῖς χρόνοις, ὡς αὐτός φησιν ἐν τῷ μικρῷ διακόσμῳ, νέος κατὰ πρεσβύτην Ἀναξαγόραν, ἔτεσιν αὐτοῦ νεώτερος τετταράκοντα· συντετάχθαι δέ φησι τὸν μικρὸν διάκοσμον ἔτεσιν ὕστερον τῆς Ἰλίου ἁλώσεως τριάκοντα καὶ ἑπτακοσίοις· γεγόνοι δ' ἄν, ὡς μὲν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς, κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα, ὡς δὲ Θράσυλλος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ τὰ πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων, κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἑβδόμης καὶ ἑβδομηκοστῆς ὀλυμπιάδος, ἐνιαυτῷ, φησί, πρεσβύτερος ὢν Σωκράτους.*

38) Nam quod Car. Müllerus ad Chronographorum fragmenta sumtibus Didotianis edita Paris. 1845 p. 123 et 131 Democriti epocham Trojanam eandem quam Artemonis esse ratus in annum 378 ante Ol. primam = 1154 a. Chr. profert, non fide antiqua sed ratiocinatione nititur, qua fere ut Fischerus (Zeittafeln p. 13) librum illum inter trigesimum et quadragesimum philosophi annum scriptum, ipsum autem cum Apollodoro a. 460 natum statuit, quorum posterius quum jam retractaverit (cf. not. 47), totus computus concidit. Cautior Boeckhius ad C. Inscr. T. II, p. 328.

39) Hinc et Suidas: *γεγονὼς ὅτε καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος κατὰ τὴν οζ' ὀλυμπιάδα, οἱ δὲ κατὰ τὴν π' φασιν*: cf. Eudociam p. 134. Ceterum ne Socratis quidem nativitas in eum annum convenit, quem plerique

rem novit [40]), quumque eum, quem plerique ultra centum annos vixisse volunt [41]), si Ol. LXXX demum natus esset, vitam ad Ol. CV produxisse sequeretur, hunc terminum unus tantum infimae aetatis chronista posuit [42]), Diodorus autem Ol. XCIV anno primo nonagenarium obiisse tradidit [43]), neque Eusebius Apollodoro astipulatur, qui etsi florem hominis duobus annis satis inter se diremtis, Ol. LXIX tertio et LXXXVI secundo ascripsit [44]), tamen nec horum alterutro illius rationibus convenit et mortis annum prorsus eundem cum Diodoro habet; ipse denique Diogenes Laertius jam Xerxis aetate adeo adultum Democritum proponit, ut magorum, quos hic rex apud patrem ejus reliquisset, disciplina uti potuerit [45]). Unde igitur tot annis a reliquis unus Apollodorus discessit? an ipsi horum numeri corrupti sunt, ut, quod alii aliter tentarunt [46]), corrigendo potius

---

etiam nunc cum Thrasyllo et Diogene amplectuntur, Ol. LXXVII quartum; qui si sub Parmenidis adventum, quem Plato Parmen. p. 127 Panathenaeis magnis, hoc est anno Olympiadis tertio factum esse testatur, Synesio teste Enc. calvit. c. 17 vigesimum quintum aetatis annum egit, anno Olympiadis quarto natus esse plane non poterat; cf. Boeckh. ad C. Inscr. T. II, p. 321 nosque in Prooem. lectt. hibern. 1846—47, p. 7.

40) Part. anim. I. 1: *ἀλλ' ἥψατο μὲν Δημόκριτος πρῶτος ... ἐπὶ Σωκράτους δὲ ηὐξήθη*: cf. Metaph. M. 4 idemque etiam clarius testantem Gellium N. Att. XVII. 21.

41) Cf. Antisthenem apud Diog. L. IX. 39 numerosque quamvis varios Hipparchi apud eundem §. 43, qui novem, Censorini D. N. c. 15, qui octo, Luciani et Phlegontis in Longaevis, qui quatuor annis superatum ab illo centesimum narrant.

42) Chron. Pasch. p. 317 Dind.: *Ὀλ. ρί ἔτ. β Δημόκριτος τελευτᾷ ζήσας ἔτη ρ'*: ejusdem tamen quam nulla fides sit, inde apparet, quod Ol. LXVII jam floruisse Democritum annotat, Eusebium ut videtur secutus, de quo mox not. 44.

43) Diod. XIV. 11: *περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον Δημόκριτος ὁ φιλόσοφος ἐτελεύτησε, βιώσας ἔτη ἐνενήκοντα.*

44) Eusebium quum dico, sequor interpretem utrumque Armenum ab Auchero et Hieronymum ad Angelo Majo editum, ne quis Scaligeri mihi interpolationes objiciat; ipsam autem quam tetigi duplicitatem antiquam esse Cyrilli quoque testimonium confirmat, qui adv. Julian. p. 13 paucis lineis interjectis primum *ἑβδομηκοστῇ*, deinde *ὀγδοηκοστῇ ἕκτῃ ὀλυμπιάδι γενέσθαι Δημόκριτον* tradit.

45) Diog. L. IX. 34: *οὗτος μάγων τινῶν διήκουσε καὶ Χαλδαίων, Ξέρξου τοῦ βασιλέως ἐπιστάτας τῷ πατρὶ αὐτοῦ καταλιπόντος, ὅτε ἐξενίσθη παρ' αὐτοῦ, καθά φησι καὶ Ἡρόδοτος.* Herodotus quidem VIII. 120 universe tantum meminit hospitii publici a rege cum Abderitis juncti, unde factum esse videtur, ut alii Protagorae potius patrem hoc munere functum esse traderent; cf. Philostr. V. Sophist. I. 10; at pro Democrito pugnat etiam Valerius Max. VIII. 7 ext. 4, eundemque commendant quae aliunde et de ipsius divitiis et de Protagorae egestate avita constant; cf. nostra de Abderitis in Gesamm. Abhh. u. Beitr. p. 97.

46) Mitto Corsinium, qui Fast. Att. T. III, p. 139 apud Diogenem (cf. not. 37) pro *τεσσαράκοντα* corrigit *τέσσαρσι*, ut quadriennio tantum minor Anaxagora Democritus fuerit, quo facto in illo Apollodorum sequitur, in hoc deserit; vix tamen lenior aut Geffersius in Quaestt. Democr. Gott. 1829, p. 9 apud Diodorum *ἐνενήκοντα* in *ἐννέα καὶ ἑξήκοντα* mutari jubet, aut Mullachius ad Democr. fragm. p. 21—23 et hunc

inter se exaequari debeant? Minime vero; rectum unice vidit Carolus Müllerus, diligentissimus chronologiae Graecae arbiter, qui etsi ipse prius Democriti epocham Trojanam ad Apollodori rationes constituere sategit (cf. not. 38), mox omnem hanc discrepantiam ad ipsius epochae Trojanae diversitatem revocavit [47]), neque Apollodori majorem in hac causâ auctoritatem esse intellexit, quam totius computi ab eodem ad Eratosthenis exemplum instituti [48]), cui et Anaxagorae et Democriti aetates praepostere accommodaverit; hujus igitur vestigia sequentes jam primum Democriti, deinde etiam ceterorum quos diximus philosophorum tempora ab iniquo Apollodori dominatu liberata ad genuinas rationes redigere conabimur.

III.

Nimirum varias exstare apud antiquos belli Trojani epochas nota res est [49]); quas quum multi etiam ad aliorum temporum definitionem ita usurparent, ut annorum intervalla numerarent, quibus res aliqua a Trojae excidio dirimeretur, facile fieri poterat, ut hoc solo numero noto alii, qui alia epocha Trojana uterentur, calculis subductis in longe alium alius Olympiadis annum inciderent, ac quem primus illius numeri auctor designare voluisset. Sic, ut hoc utar, Syracusas Chronicon Parium conditas narrat anno CDXCIII ante archontem Diognetum, qui est Ol. V quartus, Eusebius eandem rem in Ol. XI. 4 confert, insigni discrimine, sed non difficili ad explicandum, ubi recogitamus Trojae excidium ab illo CDXXXII, ab hoc CDVII annis ante primam Olympiadem poni, quod viginti quinque annorum discrimen prorsus idem est quod inter duas conditarum Syracusarum epochas apparet; idem igitur uterque CCCCLI annorum intervallum inter Trojae excidium et Syracusas conditas acceperat, sed quum in altero ter-

---

et Eusebium numerorum notis perperam intellectis ab Ol. CIV ad XCIV aberrasse, Longaevorum vero scriptores Olympiadis numerum pro supremo aetatis anno substituisse eumque novo Hipparchi errore pro CIV in CIX mutatum esse vult, quanquam ipsa ista Ol. CIV nec ratione ulla nec auctore firmatur.

47) Fragm. histor. Graec. Paris. ap. Didot. 1848. 8, T. II, p. 25, ubi praeter cetera haec quoque claris verbis scripsit: *ac revera anno fere 494 Democritum natum fuisse suaque itinera ante Herodotum absolvisse ut statuamus multa nos adducere debent.*

48) Quam fallacibus fundamentis Eratosthenis et Apollodori chronologia nitatur, agnovit etiam C. H. Lachmannus Spartan. Staatsverf. p. 309—324; adde C. O. Müllerum in Gött. gel. Anz. 1837, p. 893.

49) Cf. Clinton. Fast. Hell. T. I, p. 123—129, Boeckh ad C. Inscr. T. II, p. 327—330, Fischer Zeittafeln p. 3—18, Müller ad Chronogr. fragm. p. 122 sqq.

mino collocando viginti quinque annis discreparent, eandem discrepantiam in altero iterari necessarium erat [50]). In Democriti autem aetate definienda similem erroris causam exstitisse vel illa discrepantia ostendit, quam inter Apollodorum et Thrasyllum intercedere vidimus (cf. not. 37), quorum alter quum Trojam CCCCVII alter CCCCXVII annis ante Olympiadem primam captam esse statuerit [51]), nihil mirum est eos idem decennii discrimen in Democriti anno natali servasse, sed ut simul intelligamus, si quid certi apud eos de hac re constiterit, non tam ipsum annum natalem quam intervallum fuisse, quo is a cujusque epocha Trojana distaret; idque ut etiam tutius statuamus, tertii numeri, quem Diodorus sequitur, comparatio efficit, cui si idem DCCXXIII annorum intervallum addiderimus, in tertiam epocham Trojanam non minus celebrem incidemus. Etenim si Democritus, ut Diodorus narrat, Ol. XCIV anno primo nonagenarius obiit (cf. not. 43), natus erat Ol. LXXI anno tertio, qui est 494 a. Chr.; huic igitur si DCCXXIII illos annos addiderimus, quibus et apud Apollodorum et apud Thrasyllum Democriti nativitas a cujusque epocha Trojana distat, habebimus quadringentesimum quadragesimum primum ante primam Olympiadem sive 1217 a. Chr., unde Ephorum aliosque veteres chronologos ante Apollodorum Trojanam epocham duxisse docte Müllerus demonstravit [52]); quod si etiam alias ob causas verisimillimum est Diodorum, qui Apollodorum probe norat [53]), sicubi ab hoc discederet, antiquiores auctores inter eosque omnium facile principem Ephorum secutum esse [54]), nullus opinor dubitandi locus remanebit, quin tres testes, quos solos de Democriti aetate certos et locupletes habemus, in eo consentiant, ut Democritum DCCXXVII annis post captam Trojam natum esse noverint,

---

50) Cf. Herm. Erfurdt. Comm. de Agrigento particula, Hal. 1831. 4, ubi etsi singula nonnulla emendari possunt, universa tamen ratio egregie constat.

51) De Apollodoro nota res vel ex Eusebio; de Thrasyllo constat ex Clem. Alex. Stromatt. I, p. 335 sq., cf. Fischeri Zeittafeln p. 13.

52) Ad Chronogr. fragm. p. 126 sqq.

53) Cf. I. 5: *ἀπὸ δὲ τῶν Τρωϊκῶν ἀκολούθως Ἀπολλοδώρῳ τῷ Ἀθηναίῳ τίθεμεν ὀγδοήκοντα ἔτη πρὸς τὴν κάθοδον τῶν Ἡρακλειδῶν*: XIII. 103: *Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενός φησι καὶ τὸν Εὐριπίδην κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν τελευτῆσαι*: XIII. 108: *καθ' ὃν δὴ χρόνον καὶ Ἀντίμαχον τὸν ποιητὴν Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖός φησιν ἠνθηκέναι.*

54) Concessit hoc etiam Geffersius l. c. p. 8: *at vel sic dubitari vix potest quin et haec aut ex Ephoro ipso aut ex alio auctore antiquiore et fide digno petierit*; moneo autem imprimis propter Mullachium, qui hoc maxime argumento Apollodori rationem ceteris omnibus praetulit, quia hunc omnium de philosophi aevo auctorum antiquissimum haberemus!

quam epocham prout singuli majore vel minore intervallo a prima Olympiade dirimerent, illius quoque Olympias natalis apud alium alia exibat. At, quaerat aliquis, quid inde sequitur ad ipsam philosophi aetatem stabiliendam, quae una tantum esse potuit? Nihil vero; sed vel sic multum profecimus, qui nullius illorum testium per se spectati praecipuam auctoritatem esse intellexerimus; qua in re adhuc plerique, qui hanc quaestionem tractaverunt, ipsi sibi fucum fecerunt, quum eam Apollodori fidem esse putarent, quacum nemo praeterea comparari posset; nos vero, etiam si maxime Trojae excidium rectius ille quam ceteri definiverit, eo majoribus eum erroribus obnoxium fuisse arbitramur, ubi alias res, quarum tempora antiquiores auctores ad remotiorem epocham Trojanam constituissent, eodem intervallo servato ad suam epocham computaret; idque ut illi etiam in Democriti anno natali accidisse suspicemur, argumenta satis gravia suadent. Inter omnia certe, quae aliunde de hujus vita constant, nihil est quod eum jam ante Ol. LXXX vixisse vetet, multa, quae prius natum flagitent, quibus Apollodori asseclae ita tantum defungi possunt, ut ea inter fabulas relegent, non ut idoneis argumentis refutent; porro nihil est, quod eum ultra Ol. XCIV vixisse cogat, est vero quod vitam ejus in quartum a. Chr. saeculum produci vetet; quae si recte posuimus, neque Apollodori neque adeo Thrasylli tanta apud nos auctoritas erit, ut his Diodorum posthabeamus, cujus rationi reliqua omnia aptissime et commodissime conveniant. Et primum quidem hic solus est, qui annum hominis fatalem ita tradat, ut eum non computando demum assecutus esse sed certo veteris auctoris testimonio una cum aliis rebus eodem anno gestis accepisse videatur; quarum etsi vinculum, quo cum Democriti morte continentur, non intelligimus, tamen vix credibile est scriptorem, cujus neutiquam is mos est, ut quacunque occasione clarorum virorum obitus commemoret, huic potissimum locum daturum fuisse sine idonea causa, qua ad illum annum ejus memoriam traditam invenisset. Deinde hac sola ratione constabit fama de Xerxis apud Democriti patrem commoratione, quam cur fictam censeamus, nullam causam video; Abderitarum enim hospitio Xerxem usum esse certa res est, quos inter si pater Democriti divitiis excellebat, plurima certe sumtuum pars in ipsum conveniebat, nec quicquam absoni habet puerum hac potissimum opportunitate usum et peregrinae doctrinae cupiditatem imbibisse et familiaritates cum regis comitibus contraxisse, quibus mox in itineribus Asiaticis non leviter adjutum esse consentaneum est. Eadem autem causa nos monet, ut de annorum quoque numero Dio-

dori fidem eorum fabulis praeferamus, qui vel ultra centesimum annum Democritum vixisse volunt; quarum quum omnino non optimi testes sint [55]), tum hac maxime re ad solitas veterum exaggerationes rejiciuntur, quod, si verum mortis annum Diodorus tradidit — eumque et Eusebii testimonio confirmari et nullo argumento refutari vidimus — Democritus, si Ol. XCIV. 1 plus quam centesimum annum egisset, Ol. LXXV. 1, quo anno Xerxes Abdera visit, non amplius puer fuisset, quam ei aetatem Diogenes illo tempore diserte tribuit [56]). Eusebius utique Chronicique Paschalis scriptor, quum Democriti vitam jam Ol. LXVII vel LXIX ponerent, unam ex his narrationibus sequi potuerunt, quae philosophum, quem Ol. XCIV obiisse constaret, etiam prius quam Diodoro visum erat natum esse efficerent; mortis tamen annus, qui totius quaestionis cardo est, vel sic manet, modo chronistas, id quod facillime poterat, natale tempus cum flore confudisse statuamus [57]); eodemque pacto duplicitas illa apud Eusebium et Cyrillum [58]) commodissime expedietur, nimirum ut alteram earum Olympiadum, quibus Democritum assignant, natalem, alteram (Ol. LXXXVI) eam intelligamus, qua hic post diuturna itinera Graecorum in se ora maxime converterit [59]); Apollodori

---

55) Nam quod Mullachius p. 20 Antisthenem Rhodium, *διαδοχῶν* scriptorem, cujus testimonio Diog. L. IX. 39 supra centum annos Democritum vixisse tradit, aequalem philosophi fuisse ait, insignis error est; circa a. 200 a. Chr. demum scripsisse invenitur ex Polybio XVI. 14. Tum autem jam corrumpi coeptam esse philosophiae veteris memoriam nota res est, nec si Hipparchus, qui eundem novem et centum annos vixisse auctor erat, clarus ille Alexandrinus fuit — de quo ipse Mullachius dubitat p. 23, not. 13 — hujus in historicis eadem quae in mathematicis fides est; Censorinum denique eo minus audiemus, quod is eandem centum et octo annorum aetatem Isocrati tribuit, quem nonagesimo octavo obiisse inter omnes constat.

56) Diog. L. IX. 34: *παρ' ὧν τά τε περὶ θεολογίας καὶ ἀστρολογίας ἔμαθεν ἔτι παῖς ὤν.*

57) Sic sup. not. 8 Diogenem vidimus Thaletem inter septem sapientes habitum referre eadem Olympiade, qua is natus demum erat; omninoque verbum *γεγονέναι* in hac causa adeo ambiguum erat, ut facile nativitatis et vitae tempus permutari sineret.

58) Cf. sup. not. 44. Mullachius quidem p. 26 hanc difficultatem aliter expedire conatus est, priore loco ad Ol. LXIX vel LXX alium Democritum Abderita antiquiorem notari auspicans; talem autem, qui cum Hellanici, Anaxagorae, Heracliti fama comparari potuerit, non novimus, maximusque natu inter cognomines, quos aut Diogenes L. IX. 49 aut Mullachius p. 91 sq. enumeravit, Chius musicus claris verbis *κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον* cum Abderita philosopho vixisse dicitur.

59) Athenas eum hoc tempore venisse dixerim, nisi ipse Democritus illic agnitum se esse negasset; cf. Cic. Tuscul. V. 36 vel Val. Max. VIII. 7 ext. 4 et Diog. L. IX. 36: *ἦλθον γάρ φησιν εἰς Ἀθήνας καὶ οὔτις με ἔγνωκεν:* sed quo diutius obscurus inter Graecos mansit, eo magis excusatur Eusebius, qui hominem Ol. LXXI natum post sexaginta demum annos inclaruisse scripsit, eoque minus tolerabilis est vel

autem rationes neque huic aetatis notationi conveniunt, quae ad illius computum relata vix viginti quatuor annorum hominem sexta post nativitatem Olympiade clarum inter Graecos faceret, neque aliis, quae unanimo consensu Democritum cum Empedocle, Parmenide, Zenone aliisque quinti a. Chr. saeculi philosophis jungunt [60]), quum ex Apollodori sententia, si ad Ol. CV usque vixisset, Platonem, Aristippum, Isocratem potius aequales habuisset. Postremo in tanta argumentorum, quibus Diodori fides fulciatur, convenientia ne Protagorae quidem mentione abstinendum erit, quem quum satis certo constet circa Ol. LXXV natum esse [61]), non appareret quomodo veteres discipulum Democrito addere potuissent [62]), si hic viginti annis minor natu fuisset; quaeque recentiorum fastidium contra hanc ipsam Democriti disciplinam et antiquitus traditam et tota Protagoreae sapientiae indole firmatam [63]) protulit, quum eo solo fundamento nitantur, ut Apollodori notationem ceteris omnibus potiorem habuerint [64]), postquam hujus auctoritatem tam dubiam esse ostendimus, sine circulo in demonstrando opponi nobis amplius non poterunt. Immo quantum equidem video, status causae jam hic est, ut Apollodori, Thrasylli, Diodori notationes eadem traditione

---

Apollodori vel Mullachii ratio, secundum quam jam ante trigesimum aetatis annum clarus habitus esset; cf. Mullach. p. 26 sq.

60) Praeter ipsum Eusebium ad Ol. LXXXVI cf. Syncell. p. 482: *τότε καὶ Δημόκριτος Ἀβδηρίτης φυσικὸς φιλόσοφος ἐγνωρίζετο καὶ Ἐμπεδοκλῆς ὁ Ἀκραγαντῖνος, Ζήνων τε καὶ Παρμενίδης οἱ φιλόσοφοι καὶ Ἱπποκράτης Κῷος ἰητρός*, inque primis etiam Suidam s. v. *Ζήνων: φιλόσοφος τῶν ἐγγιζόντων Πυθαγόρᾳ καὶ Δημοκρίτῳ κατὰ τοὺς χρόνους, ἦν γὰρ ἐπὶ τῆς οη' ὀλυμπιάδος, μαθητὴς Ξενοφάνους ἢ Παρμενίδου*, ubi ne quis Protagoram pro Pythagora substituat, prohibet Euseb. Praep. evang. X. 9.

61) Nam septuaginta annos vixisse traditur a Platone locupletissimo teste Menon. p. 91 E, mortem autem sat firmis argumentis in Ol. XCII collocasse nobis videmur in Zeitschr. f. d. Alterth. 1834, p. 365, astipulantibus Geelio in Nov. Act. Societ. Rheno-Traject. T. II, p. 70 et Frejo Quaestt. Protag. p. 64.

62) Cf. Diog. L. IX. 50, Clem. Alex. Stromatt. I, p. 301 D, Philostr. V. Sophist. I. 10, luculentissimumque Epicuri testimonium apud Ath. VIII. 50, quod etiam Gellii narratione N. Att. V. 3 firmatur. Ipse Democritus quod in libro aliquo Protagorae mentionem fecisse traditur, his auctoribus non obstat; nam praeceptorem etiam discipuli rationem habere posse, ut hoc utar, jam Theodectae mentio apud Aristotelem ostendit.

63) Cf. Zeitschr. f. d. Alterth. 1834, p. 370 et Gesch. d. platon. Philos. p. 190, nec repugnat Brandis griech. röm. Philos. T. I, p. 524.

64) Unum excipio Meinersium, qui quum T. I, p. 726 Diodori fidem probasset, Apollodori certe rationibus induci non poterat, ut T. II, p. 174 Protagorae aetatem Democrito multo priorem poneret; eo magis autem mirandum est Mullachium et Frejum, Apollodori asseclas, illius auctoritate uti, quae Protagorae nativitatem vel ultra Ol. LXX removeret; ipsiusque Meinersii rationes quam debiles essent, jam Geelius l. c. p. 70 sqq. abunde docuit.

niti certum sit, nec nisi in termino differant, quo communiter acceptum annorum intervallum singuli retulerint; Diodori autem terminus multis aliis rebus confirmetur, quales pro duobus reliquis nullae afferri possint; quae quum ita sint, non modo tutissime sed etiam certissime acturi nobis videmur, ubi et Democriti aetatem ad hujus testimonium constituerimus, et reliquorum temporum comparationem ad eandem normam direxerimus.

IV.

At, inquiunt, Anaxagoras Democritum hoc ipso teste (cf. not. 37) quadraginta annis antecessit; Anaxagoram vero Ol. LXX anno primo natum Ol. LXXXVIII mortuum esse omnes consentiunt [65]; nonne igitur jure nostro cum Apollodoro Democritum Ol. LXXX natum esse statuemus? Est ita, meque ipsum fateor olim parum mihi constitisse, quum alio loco Democriti natales Ol. LXXI, alio Anaxagorae non ante Ol. LXX ponerem [66]; nunc tamen optione data, utrum hunc triginta quatuor annis rejicere, an illum eodem spatio deprimere malim, in tanta Democriteae aetatis perspicuitate ne communi quidem et inveterato doctorum errore absterrebor, quo minus Anaxagorae potius aetatem ex Democriti quam hujus ex illa existimari jubeam. Nam qui Anaxagoram Ol. LXX natum ferunt, quid nisi ejusdem Apollodori rationes sequuntur, quem in Democrito reliquis omnibus et externis et internis argumentis repugnare vidimus? Atqui Anaxagorae quoque aetatem inter antiquos ab aliis aliter constitui docuimus; quod nisi novae causae accesserint, quae sua vi efficiant, ut Apollodori notationem potiorem habeamus, non video cur Eusebium potius sequi dubitemus, qui nec ipse sine idoneis auctoribus Anaxagorae mortem in Ol. LXXIX. 3 posuisse existimandus est et mirum in modum cum ea ratione consentit, quam modo in Democrito unice probabilem deprehendimus. Hic enim si Diodoro teste nonagenarius obiit Ol. XCIV. 1, natus erat Ol. LXXI. 3; Anaxagoras igitur utpote quadraginta annis major natus erat Ol. LXI. 3; cui addito septuaginta duorum annorum spatio, quod ipse Apollodorus Anaxagorae concessit, eadem Olympias,

---

65) Cf. Heinius in Mém. de l'Acad. de Berlin a. 1752; Meiners l. c. T. I, p. 723; Hemsen Anaxag. Clazom. Gott. 1821. 8; Schaubach ad Anaxag. fragm. Lips. 1827. 8; Brandis griech. röm. Philos. T. I, p. 233; Frei Quaestt. Protag. p. 27 sqq.

66) In disput. de Socratis magistris, ubi omnino in chronologia minus diligens fui, p. 39 sq.

idem annus exit, quem Eusebius fatalem hujus edidit; in tanta igitur numerorum convenientia quid est quod plerosque nihilominus in Apollodori partes impulit? An ipsum Diodorum secum pugnare suaque vineta caedere credamus? Nimirum hunc testem adhibent, ut Anaxagoram Ol. LXXXVII anno secundo archonte Athenis Euthydemo impietatis accusatum esse evincant, quo facto vix ante sequentem Olympiadem in exilio Lampsaceno mori potuisset; et revera Diodorus illo anno memorata Phidiae accusatione ejus quoque calumniae meminit, qua Periclis adversarii hujus magistrum Anaxagoram persecuti sint [67]); at eodem tempore utrumque damnatum esse nec clare dicit, nec si maxime diceret, alia quae de hac calumnia constant vere eum dicere paterentur. Verba certe Diodori haec tantum continent, calumniatores tum, quum de Phidiae sacrilegio quaereretur, Anaxagorae quoque impietatem arguisse, ut communi utriusque amico Pericli invidiam facerent; ipsum tamen Anaxagoram etiam tum vixisse non docent, sed possunt etiam ad disciplinam hominis veterisque judicii memoriam referri; idque ut longe praestabilius judicem, Thucydidis mentio efficit, quem Satyrus, diligens veteris historiae inquisitor [68]), Anaxagoram accusasse tradidit [69]), Melesiae scilicet filium, cujus post Ol. LXXXIV nulla amplius aut in re publica potentia aut cum Pericle simultas fuit [70]); Sotionis autem testimonium, qui Cleonem potius accusatorem nominavit, ipso accusationis argumento redargui videtur. Mitto Medismum, cujus Satyrus reum actum esse tradidit, cui crimini utique Ol. LXXVIII potius quem LXXXVII locus erat; sed ipse Sotion hoc accusationis caput

---

67) Diodor. XII. 39: *πρὸς δὲ τούτοις Ἀναξαγόραν τὸν σοφιστὴν, διδάσκαλον ὄντα Περικλέους, ὡς ἀσεβοῦντα εἰς τοὺς θεοὺς ἐσυκοφάντουν, συνέπλεκον δ' ἐν ταῖς κατηγορίαις καὶ διαβολαῖς τὸν Περικλέα διὰ τὸν φθόνον σπεύδοντες διαβαλεῖν τὴν τἀνδρὸς ὑπεροχήν τε καὶ δόξαν*: cf. Müller. de Phidiae vita p. 30 sqq. et Clarisse de vita Periclis, Traj. ad Rh. 1834. 8, p. 225 sqq.

68) Cf. Phot. Bibl. p. 151 ed. Bekk.: *Σάτυρος δ' ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος ζῆτα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ*, pluraque in disp. nostra, qua eum a Luzaci calumniis vindicavimus, ante Indices lectt. Marburg. 1840, p. ιν sq.

69) Diog. L. II. 12: *Σάτυρος δὲ ἐν τοῖς βίοις ὑπὸ Θουκυδίδου φησὶν εἰσαχθῆναι τὴν δίκην, ἀντιπολιτευσαμένου τῷ Περικλεῖ· καὶ οὐ μόνον ἀσεβείας ἀλλὰ καὶ μηδισμοῦ, καὶ ἀπόντα καταδικασθῆναι θανάτου.*

70) Büttner Gesch. d. polit. Hetärien in Athen p. 42: *diese Ueberlegenheit machte es dem Perikles möglich im Jahre 444 die Verbannung des Thukydides und die Auflösung seiner Hetärie zu bewirken ... nach Auflösung derselben gewann er keine Bedeutung mehr im Staate, obgleich er lange vor Ablauf der gesetzmässigen zehn Jahre wieder zurückgekehrt war*; cf. Sintenis. ad Plut. V. Pericl. p. 118 et Wachsmuth. hell. Alterth. T. *I*, p. 584.

fuisse ait, quod Anaxagoras solem massam igneam dixisset [71]); hoc vero illius placitum tum maxime hominum animos advertisse videtur, quum lapis ad Aegos flumen de caelo delapsus esset, quod etsi ridiculi erant qui praedixisse Anaxagoram fabularentur [72]), doctrinae tamen ab hoc propositae mirifice favebat [73]); quis igitur credat non Ol. LXXVIII, qua illum casum accidisse constat [74]), sed triginta amplius annis post in judicium vocatum esse ab homine, qui commisso criminis tempore vix e pueris excesserat? Immo si quid video eadem Olympiade vel damnatus vel Periclis precibus condonatus Lampsacum profectus est, ubi post paucorum annorum exilium Ol. LXXIX anno tertio vitam deposuit; discipulum autem ibidem reliquit Archelaum [75]), qui si mox Athenas translatus ibi cum Socrate septendecim annorum adolescente congressus est [76]), sic quoque Eusebianam rationem confirmat, Apollodoream refutat, ex qua Socrates jam eo tempore, quo Anaxagoras damnatus est, circiter quadragenarius fuisset. Illud tantum concedo, mature eam opinionem inter Graecos invaluisse, ut, quia circa belli Peloponnesii initium Anaxagoreismi, ut ita loquar, crimen ferbuisse nec paucos vel lege lata in eam invidiam inductos esse constaret, ut Anaxagorae exemplo ad impietatem delapsi viderentur [77]), ipsum hujus erroris auctorem etiam tum vixisse crederent eique quicquid hominum illustrium hoc nomine suspectum esset, Euripidem [78]), Thucydidem [79]), ipsumque Socratem [80]) discipulos adderent; idemque

---

71) Diog. L. II. 12: *Σωτίων μὲν γάρ φησιν ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων, ὑπὸ Κλέωνος αὐτὸν ἀσεβείας κριθῆναι, διότι τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγε διάπυρον*: cf. Hemsen p. 33 sqq., Schaubach. p. 49 et 139 sqq.

72) Cf. Menagius ad Diog. L. II. 10 et Jo. Laur. Lydum de Ostentis p. 281 ed. Bekk.

73) Diog. L. II. 11: *φησὶ δὲ Σειληνὸς ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἱστοριῶν ἐπὶ ἄρχοντος Λυσ. . . . . λίθον ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν, τὸν δὲ Ἀναξαγόραν εἰπεῖν ὅτι ὅλος ὁ οὐρανὸς ἐκ λίθων συγκέοιτο κ. τ. λ.*

74) Theogenidem archontem Ol. LXXVIII. 1 claris verbis memorat Chronicon Parium; apud Diogenem trium sequentium annorum eponymos supplere licet; cf. omnino Boeckh. ad C. Inscr. T. II, p. 320 et Jahnii Archiv f. Philol. T. V, p. 222.

75) Euseb. Praep. Evang. X. 14: *ὁ δὲ Ἀρχέλαος ἐν Λαμψάκῳ διεδέξατο τὴν σχολὴν τοῦ Ἀναξαγόρου.*

76) Porphyr. de Socrate ap. Theodoret. Graec. affect. curat. XII, p. 1030: *ἤδη δὲ περὶ τὰ ἑπτακαίδεκα ἔτη προσελθεῖν αὐτῷ Ἀρχέλαον τὸν Ἀναξαγόρου μαθητὴν, φάσκοντα ἐραστὴν εἶναι κ. τ. λ.* De Socratis aetate cf. sup. not. 39.

77) Plut. V. Pericl. c. 32: *καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν εἰςαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ μεταρσίων διδάσκοντας, ἀπερειδόμενος εἰς Περικλέα δι' Ἀναξαγόρου τὴν ὑπόνοιαν*: cf. Bergk. Com. Att. reliqu. p. 170.

78) Schaubach. p. 20; cf. Valckenar. diatr. in Eurip. fragm. p. 29 sqq. et Bergk in Zeitschr. f. d. Alterth. 1836, p. 56.

79) Marcell. V. Thucyd. §. 22: *ἤκουσε δὲ διδασκάλων Ἀναξαγόρου μὲν ἐν φιλοσόφοις, ὅθεν, φησὶν ὁ Ἄν-*

fons famae illius fuisse videtur, quae illum sub Xerxis adventum viginti annorum adolescentem Athenas venisse tradidit (cf. not. 33); eandem tamen qui cum aliis narrationibus ibidem a Diogene memoratis apte conciliaret nondum inventus est [81]), nec minore jure pro nostra sententia Stesimbrotum testem adhibere poterimus, qui Themistoclem Anaxagorae disciplina usum esse docuerat [82]); missis igitur rumoribus, quorum fonte intellecto illico auctoritas evanescit, hic quoque ab Apollodoro ad Eusebium eo certius desciscemus, quo minus fortuitam utriusque discrepantiam esse iterum rediens triginta quatuor annorum discrimen (534—500; 462—428) ostendit. Idem vero, quod neminem adhuc advertisse miror, tertio redit in Anaximene, quem quum Apollodorus Ol. LXIII natum tradat, Suidas ejusdem natales in Ol. LV confert; utque in Democrito et Anaxagora, sic etiam in hoc haud scio an vetustior annus potior habendus sit. Mortuum enim nemo est qui post Sardes captas narret, quae ipsa Apollodori narratio est (cf. not. 23); qui autem Ol. LXX mortuus est, si, ut eidem Apollodoro placet, Ol. LXIII demum natus esset, vix trigesimum aetatis annum attigisset, qua aetate illorum temporum simplicitas non facile patiebatur quemquam jam aut scribendo aut philosophando vulgo innotescere; itaque quo longius ejus natales removere licuerit, eo libentius amplectemur neque ea re deterrebimur, quod idem Suidas, qui Ol. LV natum dicit, Sardium expugnationem non cum morte sed cum nativitate ejus

---

τυλλος, καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη: quem tamen jam Tzetzes anachronismi arguit, cf. Poppon. Prolegg. Thucyd. T. I. p. 321; scilicet ex Eusebii chronologia; Apollodori enim rationes non obstarent.

80) Diog. L. II. 19: ἀκούσας δὲ Ἀναξαγόρου κατά τινας . . . μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου: quibus tamen si quid veri inesset, ipsam Anaxagorae damnationem ante Ol. LXXXII rejicerent; septendecim enim annos natum Socratem cum Archelao consuesse legimus not. 76. Praeterea scite monet Baylius Dictionn. histor. T. I, p. 227, si coram Anaxagoram Socrates vidisset, non opus fuisse ut apud Plat. Phaed. p. 97 ad ejusdem librum confugeret.

81) Praeter Hemsenium et Schaubachium multum in hac quaestione laboravit doctus Batavus Bakhuizen van den Brink var. lectt. de hist. philos. ant. L. B. 1842. 8, p. 69—80, qui Anaxagoram ab Ol. LXXX ad LXXXII Athenis degisse statuit vulgarique opinioni non pauca opposuit, quae in nostrum quoque usum converti possint; ipsius tamen rationem ne nos quidem amplectimur, quia non apparet, quo modo is, qui Ol. LXXV vicenarius Athenas venisset, Ol. LXXXII senex inde discedere potuerit, cf. not. 36. Nobis si hariolari liberet, tricennale spatium, quo Diogenes Anaxagorae commorationem Atticam includit, ab Ol. LXX. 4 ad LXXVIII. 2 numeraremus, quo facto etiam novum eponymum a. 497/6 a. Chr. Calliam lucraremur (cf. not. 34); sed tam inveteratus morbus totam medelam respuit.

82) Cf. Stesimbrotum, satis antiquum auctorem, apud Plut. V. Themist. c. 2, cui hic temporum certe difficultates opponere non debebat, quanquam fidem hominis non magnam esse concedo; cf. Prooem. lectt. Marburg. 1836, p. VII.

conjungit. Immo si maxime verum esset, quod Suidas ascripsit eo tempore Anaximenem natum esse, quo Cyrus Croesum vicerit, ipsum Croesi exitum tam prope ad Ol. LV accedere certum est (cf. not. 12), ut nihil impediret, quo minus eum, qui Ol. LV natus, Ol. LXX mortuus esset, ab altera Sardium expugnatione usque ad alteram vixisse diceremus; Eudocia tamen comparata (cf. not. 26), quacum plurima Suidas communia habet, haud scio an hic mero errore priorem expugnationem pro posteriore substituerit, quodque fatale hominis tempus legisset in natale converterit; denique utut haec sunt, vix melius et Apollodori rationes cum Suida conciliari et omnia veterum testimonia de Anaximene in unum conjungi arbitror, quam ut cum Suida Ol. LV natum, cum Apollodoro circa alteram Sardium expugnationem Ol. LXX mortuum statuamus, tertiam vero et sexagesimam Olympiadem, qua Apollodorus eum natum fecit, ad eundem triginta quatuor annorum errorem referamus, quem eundem et in Anaxagorae et in Democriti natalibus commisisse ostendimus. Reliquorum philosophorum aetates minoribus difficultatibus laborare vidimus, quas ut jam cum eis, quas modo investigavimus, uno conspectu jungamus,

Thales natus est Ol. XXXV. 1 = 640 a. Chr. mortuus circa Ol. LVII. 3 = 550 a. Chr.
Anaximander — Ol. XLII. 3 = 610 a. Chr. — circa Ol. LIX. 1 = 544 a. Chr.
Anaximenes — Ol. LV. 1 = 560 a. Chr. — circa Ol. LXX. 1 = 500 a. Chr.
Anaxagoras — Ol. LXI. 3 = 534 a. Chr. — Ol. LXXIX. 3 = 462 a. Chr.
Heraclitus — circa Ol. LXVII = 510 a. Chr. — Ol. LXXXII = 450 a. Chr.
Democritus — Ol. LXXI. 3 = 494 a. Chr. — Ol. XCIV. 1 = 404 a. Chr.

peculiariter autem nihil amplius moneri opus est, nisi in Thalete quoque minus diligentem Apollodorum inveniri, qui philosophum Ol. XXXV. 1 natum non ultra septuagesimum octavum annum vixisse, hoc est usque ad Ol. LIV. 3 dixerit, quo facto is Croesi expeditionem nullo modo attigisset; hujus igitur chronographi rationes quod in tota hac quaestione ab immerito virorum doctorum assensu prohibere studui, hoc quoque exemplo jure factum esse apparet.

P. P. in Academia Georgia Augusta m. Sextili a. MDCCCXLIX.